PAMFLET
1558

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

W 1124

FAX
CONSVMENS
Commentarium Gnomarum
Dominici Baudii,
IESVITARVM
impudentiſſimo accenſa,

A

LUDOVICO SCHLAAFFIO
Ienenſi Tyrigeta,
LL. Stud.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Scaliger Exercit. 297. ſect. 1.

Aliorum ſententias oppugnare paratius eſt unicuique, quam ſuam tuto alienis committere judiciis.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Ioannis Patii, Academiæ Typographi.
Anno cIↃ. IↃ. C. VIII.

56

1558

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

ILLVSTRISSIMI, STRENVI, POTENtiſſimi Domini, Domini Ordin. Holland. benè Deputati.

NOBILISS. AMPLISSIMI, ET VTRAQVE tam pia quam literata virtute præcellentiſſimi Domini Academiæ hujus celeberrimæ Curatores.

MAGNIFICI, CLARISSIMI, PRVDENtiſſimi civitatis hujus Domini Conſules & Senatores.

Maximam eſſe quorundam hominum impudentiam teſtatur experientia, qui præfracti oris adeò, ut præſtantiſſimorum licet Virorum præſtantiſſima, & immortali laude digniſſima facta ipſis ſient manifeſta, & vel inviti conſcientiæ nimirum teſtimonio, convicti, ea agnoſcere, & admirari cogantur: Sæpiſſimè tamen abſque ulla fronte non ſolum clanculum in ea, ſed etiam apertè debacchantur, atque in quemlibet eruditiſſimum, & fortiſſimum virum quocunque libido tulerit maledicta congerentes, ſibi perſuadent, ſe eo nomine facetos eſſe & delectabiles ſuſpici, cum tamen & ignorantes ſint, & ab omni urbanitate alieniſſimi. Quod ipſum fatetur & veſter, Patres Patriæ, Dominicus Baudius I.V.D. hiſtoriarum ac Eloquentiæ Profeſſor Lycæi veſtri inclyti, Clariſſimus; in quem Sycophanta, neſcio quis ritu Parthorum animo hoſtili ſine cauſſa, ſine autoritate, ſine firma probatione mendaciorum venenata tela conjicere dum haud erubuerit: & vos P.P. per ipſius latus ſauciatos ignaviſſimus & imperitiſſimus ſcurra non animadvertit. Quicquid enim dignitatis in Domino Baudio eſt, quicquid gloriæ, quicquid honoris, id omne grato animo cognoſcens, Vobis P. P. quin acceptum referat, nullum oboritur dubium. Licet enim tam fracti & abjecti degeneris & ſtulti animi multos paſſim cernere liceat obvios, qui cum aliorũ ὕβριν καταπέψαι, *ſuamq; efferveſcentiam* λόγῳ *domare nequeant,* βρόχῳ *funeſtiſſimam ſibi attrahant* πανωλεθρίαν, *non cogitantes optimi peſſimi principis magiſtri Senecæ illud, æquo animo audienda imperitorum convitia, & ad honeſta vadenti contemnendum iſtum contemtum, nec ſecum obvolventes apud humiles duntaxat animos habitare, & in altos dirigi lividam illam Deam, vel ut Pindari verbis utar:*

ἅπτεται δ', ἐσθλῶν ἀεὶ
χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει.

Det tamen aliquis quendam, cujus pectus infuſa philoſophiæ præcepta irrigaverint, in cujus animis virtutum ſermina radices egerint, annon calumniarum favillas ab aliis affricatas inſtillata philoſophia reſtinguet? ea enim magiſtra & præceptrice cognovit quilibet verum decus veramq; gloriam ſola in virtute eſſe poſitam, eam qui conſecutus ſit, quid alii de ſe judicent, non admodum labo-

rare

rare oportere: præcipuè deſpiciendos Sciolorum morſus, quibus ἀγροτέροισι σύεσι ἐοικότες bonorum famam invadunt & ſubruunt. Præclarè & ſapienter Diogenes interroganti cuidam, quo pacto ulciſcar inimicum? Reſpondit, ſi ipſe probus honeſtusq́; fueris. Quare non ſolum firmant, ſed & probant convitia: & ut non eſt arbor ſolida nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices figit certius: fragiles ſunt quæ in aprica valle creverunt; ſic boni in virtute non comprehendunt, niſi impulſi aliquoties cavillationum flabris. Probant: quia aliter quomodo conſtare cuiquam poteſt de patientia ſua, aut progreſſu profectuq́; virtutis? Vela gubernatori ventus ſecundus ſemper à puppi impleat artem nuſquam explicabit, carptorum abſit, & adverſariorum deſit probitatis pietatisq́; ſtudioſo animadverſio & exagitatio. Virtutem nuſquam & nunquam exſeret, languebit animus torpebit vigor deflореſcet alacritas, bona indoles marceſcet. Veriſſimum inde familiari uſu tritum, & veritatis calculo ſtabilitum illud eſt proverbiũ Indus Elephantus haud culicem curat; ut nec generoſus equus canum latratus. Veriſſimum & Taciti illud, convitia ſi iraſcare agnita videntur, ſpreta exoleſcunt. Quæ omnia vero veriora D. Baudius cum non neſcit, calumniarum turbines, & maledictorum procellas, quovis gladio, ut Thearidas quidam dixiſſe fertur, acutiores, ſcuto conſcientiæ & integritatis planè Vulcanio tectus cum Agamemnone, cui Therſites deformis, & informis obſtrepebat minoris facit, quàm teſtudo muſcas, aut non magis æſtimat ac nebulas in pariete, & ut ille ex Albania canis ſe ab iſtis ſolo contemtu vindicat. Quod & mihi, omnibusque Domini Baudii diſcipulis faciendum licet non ignorarem: tamen Auguſtum, qui cum audiret Ælianum quendam de ſe malè opinari ſolere, faciam, inquit, ſciat Ælianus & me linguam habere, imitando, non inconcinnè neque inconſideratè me effecturum putabam eniti, ut & perditiſſimus Ieſuita ille, nos ad veritatem, æque ac illum ad defendenda ſcelera atque mendacia proferenda paratos habere calamos intelligat. Huic nefario, cujus ingens & ſubitus mendaciorum fluctus, ut rupes non ſolum Domini Baudii carminibus, ſed perplurimis demortibus æque ac viventibus Viris incomparabilibus ſe opponit, circum circa fragore ſuo allatrat Veſtram Autoritatem P.P. tanquam murum aheneum objicio, fore confidens, ut ad aggeres, ad littus hoc illiſus frangatur. Ea adverſariorũ omnium aculeos excipiens, retorquens, infringens mihi in Muſarum caſtris militanti non mediocre calcar addet: Ea olim Divina adſpirante gratia meorum ſtudiorum fructus ſuo jure repetet uberiores. Ea denique Vobis P.P. me totum perpetuo obſequii vinculo, & animi grati memoria obſtrictum reddet & devinctum. Eandem Dei Optimi Maximi tutelæ & præſidio paterno committo. Dabam in illuſtri Lugduno ultimo Maii, Anno partus ſalutiferi ſupra ſeſquimilleſimum centeſimo ~~ſecundo~~ octavo.

CVm Fabius ille Maximus, Magnifice Domine Rector, Illuſtriſſimi, Illuſtres, & Generoſi Domini, Domini Comites & Barones, Domini Profeſſores Magnifici, Reverendi, Pietate Venerandi, Prudentia conſpicui, ſapientia præſtantes, omni omnium ſtudiorum genere juvenes florentiſſimi, cum Fabius, inquam ille Maximus unus qui Romanis cunctando rem reſtituit, belli Punici Secundi tempore, Imperator manus cum Annibale cõſerere detrectaret, & nihilominus ejus copiis, veluti Tantalo lapis jamjam lapſurus immineret, & incubaret, conſilioque ſatis accurato tamdiu ſeſe opponeret illi, donec exercitus hoſtilis paulatim commeatus inopiâ attereretur, pecuniæque penuria preſſus attenuaretur: bellator fortiſſimus & Imperator prudentiſſimus per ludibrium pędagogus Annibalis & Cunctator fuit appellatus. Sed nihil ille commotus dicterii cavillo, probrique morſu, plus ſe Reipub. ſaluti atque incolumitati conſulere ſentiens, ita ferocientis & exultantis hoſtis temeritatem conſilio ſi reprimeret, furorem fortitudine ſi eluderet, audaciam virtute ſi ſuperaret, quàm ſi cæca & deſultoria levitate temerè proſiliret ad arma, & ſe ſuorumque ſalutem in manifeſtum & voluntarium projiceret diſcrimen; animo intrepido in hanc inſignem & laudabilem vocem prorupit; Dicteria, inquiens cõvitiaque qui metuit, timidiorem multo eſſe cenſeo, quàm qui ad hoſtium conſpectũ formidantes refugiunt Egregium me hercle pronuntiatum! Optimè enim intellexit vir fortiſſimus citius Solem ſuo de curſu deturbatum iri, quàm ut infractum & invictum aliquod animi robur voluptatum illecebræ eripere, dolorum faces exurere, divitiarum ſplendor expugnare, ignominiæ metus imminuere, mortis terror convellere ac labefactare valeat. Vt nepenthes herba poculis addita, omnem convivii triſticiam diſcutit & abigit; ita cõſcius recti animus omnes invidorum inſultus, omnes Pſyllorum

incur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

incurſus deſpicit, nec magis reſpicit ac menſa inanis, ſi apponatur ſibi; omnes frigidè obtrectãtiam ſermunculos ſusq; deque habet, & more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus obaudit. Novit nimirum puſilli hominis eſſe & miſeri repetere mordentem. Novit hoc omnis Philoſophorum turba, quæ ad ſpurcos & turpes abjectorum hominum garritus & gannitus ſtetit:

Vt Pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circum latrantibus undis
Mole tenet ſcopuli nequicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, lateriq; illiſa refunditur alga.

Novit & hoc Ampliſſimus, Clariſſimus Couſultiſſimus D. Doctor Dominicus Baudius hujus Academiæ Profeſſor, meritiſſimus Præceptor noſter æviternum colendus, qui ναῦν ὄρθαν tenens virtutis ſtudio & amore detentus, ſtrigoſas, illotas, & impexas cavillationum voces, neſcio cujus farinæ hominis, Ei procacitate linguæ nocere ſtudentis, inq; ipſius ſcripta acerbitatis ſuæ virus evomẽtis, animo altiſſimo aſpernatur, tantumque abeſt, ut earum conſpurcetur ſordibus, ut etiã illas tanto infra ſe jacere ſentiat, quanto imæ, maximèq; depreſſæ convalles infra editiſſimorum, cœloque, ut Poëtæ loquuntur minantium montium cacumina. Si enim, Mome, tantummodo quod vanitas ac ſumma levitas tua poſtularet, ſpectare in animum induxiſſem, feciſſem id quod perpluri-mis Doctiſſimis viris placebat, ut cujus famoſiſſimus ac mendaciſſimus liber, propter calumnias, quibus eſt refertus, nullius momenti putaretur, eum & ego quaſi vecordem, quaſi furioſum, quaſi mente captum, tacitus dimitterem. Nemo enim vir bonus in hoc uſque momẽtum judicare potuit, aut ita ſceleratum hunc & profligatum hominem, hoc eſt animal ex omnium ſcelerum importunitate & flagitiorum ſentina concretum, adeòque intus, & in cute deperditum, refutandum, ut gravem adverſarium, aut ita monendum, ut hominem errore lapſum: ſed quia os illud protervum, aut premiis

 ille-

illectum, aut improborum & ſui ſimillimorum vocibus impulſum, non erubuit narrata ab aliis pro compertis, dicta pro lectis, audita pro viſis, falſa pro veris, pro factis infecta ſibi impugnanda ſumere; adeoque cum proprio quodam capitis figmento, tanquam cum larva luctandum judicare; neq; ego cum Socrate amorem vituperaturo pallio caput operio, ſed nullam moleſtiam ſubterfugiam, nullum recuſabo onus, quin ipſius Momi tela venenata, quæ ille Magnifici Domini Baudii cervicibus intentavit, mea qualicunq; Oratione depellerem; ut vulneribus quæ ille putat Domino Baudio datis, aliquod remedium invenirem, idque inventum in lucem conſpectumque bonorum omnium, quàm maturrimè afferrem. Dionem Alexandrinum Philoſophū Academicum memoriæ proditum legimus, cum convitiator quidam per integrum diem inſecutus nullam ab eo vocem elicere potuiſſet; nihilne tandem reſpondes? inquit. At Dion ne gry quidem ait: quod cum convitiator perceperat, tanto eſt dolore affectus, ut ſtatim diſcedens ſe ſuſpenderit. Idem cuidam inimico Socratis accidiſſe liquidò conſtat: qui convitiis in Socratem conjectis multis, non acquieſcens, eum etiam calce percuſſit: Cum autem quidam ex familiaribus Socratem admonerent, ut percuſſorem in jus vocaret: Ridiculum, inquit, an ſi aſinus mihi calcem impegiſſet, eum in jus vocarem? Qui cum à Socrate ſe penitus ſperni intelligeret, ſibi ipſi manus violenter intulit. Vnde non tàm eleganter, quàm ex imis divinæ ſapientiæ penetralibus Poëta quidam Græcorum cecinit:

Ὁ φθόνος ἐςὶ κάκιςον ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ,
Τήκει τῶν φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Peſſimus eſt certè, ſed habet quædam optima livor:
Invidi enim merito corda, oculosq; vorat.

Quare ne & hic homo nefarius, ſi ſe planè pleneque negligi videat, ſuis furiis, tormentis ſuis, ſuis ſuppliciis gladio, fune, aut aqua ſalutem quærat, ſed ad alias, & benè meritas reſervetur

vetur pœnas; cum probis omnibus tempus adeſſe perſpicio, ut quàm ille vir malus ſit, quàm homo futilis, quàm ſcriptor mendax, quàm nullius pretii Pontificius, id à me omnibus bonitatem amando amplectentibus, pauciſſimis commonſtretur. Quare ne ſibi hunc honorem an me, qui juvenis adhuc, haberi buſtuarius ille gladiator miretur, quod publica ſcriptione contra talem utar, quem nemo probus reſponſo, nemo colloquio, nemo congreſſu, nemo aditu, nemo civitate, luce nemo dignum reputet: ſciat ipſe me nulla alia de cauſſâ ad ſcribendum veniſſe, niſi ut ipſum ad aliud quàm laquei mortis genus, reſervem non tantum; ſed etiam ferocitatem iſtam iſtius impuratiſſimi comprimens, innocentiam Domini noſtri Profeſſoris publico ſcripto teſtatam faciam, vanitatemque ſcriptoris futiliſſimi recitando potius, quàm refutando convellam. Ita enim ſtatuendum duco, hac in cauſſa atque extrema dicendi neceſſitate à me pietatis potius, quàm defenſionis, quærelæ quàm eloquentiæ, doloris quàm ingenii partes eſſe ſuſceptas. Quamobrē ſi aut aliquid acrius pro Domino Baudio dixero, aut etiam hic liberius, quàm vel Veſtra P.C. dignitas vel cauſſæ ipſius bonitas poſtulare videbuntur, à Vobis Humaniſsimis Auditoribus enixè, totoque animi affectu precor, ut tantum Orationi meæ, ingenii ſale minus conditâ, nec limato ſermone perpolitâ, ſed uti in buccam venit in chartam conjectâ concedere dignemini, quantum & pio dolori, & juſtæ iracundiæ concedendum arbitramini. Ne autem infinitè feratur ut flumen in varios diductum rivulos, Oratio, copias ejus ordine, & velut ſub ſignis inducam, quarum duplex mihi agmen. In primo quorundam ridiculorum me mentionem facere percipietis: nam ad abſurda & mendacia ſingula & omnia, ad errorem Pontificium defendendum à Momo noſtro prolata; in quibus tanta eſt vanitas, tanta deformitas, ut multa ex his ſibi ipſis quaſi adverſa fronte repugnent, non pauca ſemetipſa ſubvertant, plæraque ita ſint comparata, ut nullam veri ſimilitudi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

litudinem aut ſpeciem obtineant; alio ſcripto reſpondere conſtitui. In altero labes illas, quamvis in viro bono nulla hærere poterit ignominia, abſtergi audietis quibus impuriſſimus ac perditiſſimus ſcurra ſuis calumniis, ſuis cõtumeliis, ſuis ſycophantiis vitam ac famam hactenus ab omnibus tectam conſervatam, nominis Domini Noſtri Præceptoris immerentiſſimi, & innocentiſſimi commaculare ac defædare non fuit veritus. Quare in Veſtris oculis, P.C. in veſtro vultu, oreque acquieſco, vos intueor, ad vos omnis mea ſpectat Oratio, quæ non ad animi motum impetumque dicendi, ſed ad ſpem veritatis obtinendæ tota à me dirigitur. Vt igitur ridicula & ſtolida illa educam, quis eſt ille, qui omni pudore & verecundia deſtitutus verba mendaciorum involucris implicata contra noſtrum Baudium profert. Invidiæ veneno ſuffuſus, livoris ſtimulis punctus, malevolentiæ ſpuma circumfuſus: hic eſt cui odio virtus, integritas dolori, innocentia labi & tabi. Hic eſt cui cum aſſentatoribus ſuis ὄψον λόγοι, qui τὸ λαμπρὸν βιῶνται τῶν δ' ἀφαύλων κύδος ἀντείνει σαθρὸν, ut non tàm rectè quàm verè loquitur Pindarus. Sed cur tu, impientiſſime, ad te enim me recta converto in tuo illo, quem vocas commentarium, mendaciſſimo, & nequiſsimo libello, nomen tuum omiſiſti? cur non in addendo eo Baudium noſtrum conſcientiæ puritate fretum, alioſque veritatis perticâ ſuffultos es imitatus? Quæ pravitas te tenet? qui tantus furor? quæ tua hæc eſt inſcitia, aut malitia potius? In præfatione ad lectorem, quam velut propudioſam hederam ſordidæ merci ſuſpendere volueris, dicis, te ancipiti cogitationum cura diſtractum non ſemel hæſiſſe, daréſne aliquid hiſce Autumnalibus nundinis Iuventuti Belgicæ: quaſi tu tantus, & tàm celeberrimi nominis ſcriptor exiſteres, qui ſingulis nundinis novum, & non viſum antea opus aliquod æneis typis excudi curaret. Quaſi à tuis tanquam eruditorum omnium Principis labris pendere juventus Belgica adurgeretur; quaſi nobis tua ſcripta oraculorum inſtar eſſent amplectenda, &

ſine

ſine illis nos ad eruditionis faſtigium non poſſe aſcendere? Quid tibi ſtolida ambitione ductus perſuades? quid tibi ſomnias? nos in Belgio viris doctis eſſe & vivere deſtitutos, toto quod aiunt cœlo aberras, verbero. Nam nos non ſolum, ſed omnes exteri in Belgio totius orbis terrarum lumina, literarum firmamenta, eruditionis & virtutum domicilia firmiſſima: quæ omnia omnes Muſæ, καὶ ὁ δάλιος ἠγάπευν ἀπόλλων, ſcimus & gratis animis agnoſcimus. Cum quibus te licet nõ ut hominem cum homine, ne quæ illis magnis viris fiat injuria, ſed ut impietatem cum Religione, amorem ſcelerum cum ſtudio virtutis, mendacium cum veritate, ſi conferam, nihilominus te ſordere ſentio. Quapropter eorum calceos cum ſolvere non dignus, hinc directè in malam crucem cum tuo illo libello diſcedito ſcelus. Quod tuum ſcriptum primum cum videram perlecta præfatione me aliquem inſignem, & ingentem theſaurũ inveniſſe geſtiebam: at accidit mihi quod olim Iovi eveniſſe fabulæ referunt, qui cum ſummo quidem metu parturientes montes expectaret, eoſdem murem parere comperiebat. Idem ego experiebar, qui ex gnomarum illuſtratione tua me plurimum utilitatis hauſturum, & in ſuccum ac ſanguinem converſurum putaram; Ecce, videbam, Introrſum turpem ſpecioſum pelle decora; auro obductam, intus araneis & inaniis reperiebam pleniſſimam. Sed ô ſpes fallaces! ô inanes cogitationes noſtras! Verum ne nimis vaga ſit mea Oratio & libera, ſed adductis habenis maneam in hoc gyro: cur inquam tu impuriſſime leno, qui tàm præſtantiſſimus audiri & videri vis author, ut ſingulis nundinis in uſum juventutis quidquam in publicũ ſoleas emittere, nominis tui es oblitus? aut quaſi mendaciſſimus tuus tractatus Lugduni eſſet impreſſus & excuſus ſcribi curaſti? Quæ iſthæc tàm horribilis eſt protervia? quæ tàm inaudita, & penè incredibilis tua eſt temeritas? te vel nimio vino aut cereviſia obrutum, vel furiis infernalibus impulſum, aut ipſo Cacodæmone irretitũ mihi planè perſuadeo. Quid tu hic nares criſpas furibunde carni-

ſex? quid frontem corrugas? quid palles? quid expectas? Nunquã ne audiviſti illum, quem nomen ſuum fateri pudet, vel aliquod grande nefas perpetraſſe, vel de committẽdo permagno & morte piando ſcelere eſſe indies ſollicitum? Tu quid jam moliaris, omnibus, in quibus tantum minima intelligentiæ & prudentiæ ſcintillula emicat, judicandum relinquo. Sed cum cõſcientiæ deperditæ ſtimulis agitate nomen, more furiarum æſtro percitorum, addere fueris veritus, in toto illo meo ſcripto nomine Momi te indigetari videbis. At dicas fortè, ut eſt audacia, ut impudentia, ut immanis & effera tua mentiendi libido, famoſiſſimi illius & mendaciſſimi libelli plures eſſe authores. O immaniſſimum ac fœdiſſimum monſtrum! quænam frons caperata iſta tua? aut quis vultus Atticus? Quod ſi verum, non autumas nos omnes, qui tecum in conſcribendo futiliſſimo illo tractatu conſpirarunt, æque ac te, aſinos auritos pronunciaturos. Quippe quis adeò à mente remotus, ut eum, qui contra conſcientiam agat, virum bonum dicat? quis ita ſtupidus, ut illum, qui tàm abſurda & ne in pueris quidem ferenda, ſed virgis prohibenda proferat, Ieſuitam ardenti ſtudio, multis vigiliis, longoq́ue uſu & tractatione rerum maximarum aſſidua immẽſam ſibi quandam ſapientiæ ac prudentiæ vim comparantem, credat? Si verò falſum quæ major, quæſo te tua poſſit eſſe levitas, quam ut tui ſimiles in ſuſpicionem nefarii ſceleris, homo nefarie, coneris pertrahere? Cæterum te Domino Baudio veritatis parmam objecturum gloriaris: annunquam legiſti è ſquilla roſam non naſci, è tribulis ficum, è ſentibus uvam, ab ancillis filios liberos, ab indoctis prçceptoribus non produci eruditos diſcipulos. Etenim ab eo, quod in ſe nihil prorſum habeat, niſi ſordidum ac ignominioſum, dignitatis vel honeſtatis quicquam in caſſum expectari, tàm eſt evidens & manifeſtũ, adeòque perſpicuum ut Tireſia ſit cæcior qui non videat: Κακȣ̃ namque κόρακος κακὸν ὠὸν, mali corvi malum ovum. Reſpice Lucium Tarquinium Lucumonem, qui urbe Tar-

quiniis

quiniis profugus Romam petiit, ubi pecuniis dignitatem, & induſtria ſcelerata Regis Anci familiaritatem conſecutus erat, à quo tutor liberis relictus, Regnum iniquis rationibus intercepit, omnes finitimos miſeris modis afflixit, & potentes duodecim Tuſcię populos innumeris attrivit cladibus. Cujus peſſimi Regis peſſimus erat filius, ut etiam moribus ſuperbi cognomen meruerit: qui Servium Tullum ſocerum ſuum in curiam properantem, gradibus dejecit, domumque refugientem interfecit; mox Regnum patris exemplum imitatus, ſceleſtè occupavit. Hujus item filius Sextus Tarquinius ut corpore patrem iniquum, ita pectore vitiis omnibus corruptiſſimo, retulit: qui Gabios prodidit & jure propinquitatis in Collatini, domũ receptus, in cubiculum Lucretiæ irrumpẽs, pudicitiam expugnavit. Breviter, Tarquiniorum progenies per malitiam à majoribus veluti per manus traditam, eò proceſſit, ut profligata fuerit, & velut aurum, quod aiunt, Toloſanum funditus interierit. Quibus commotus Euripides ait:

> Φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει,
> Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.
> *Heus, heus, ut illi dictitant rectè probum*
> *Patre ab improbo non poſſe naſci filium.*

Nunquamne, Mome, audiſti Horatium canentem:

> *Fortes creantur fortibus & bonis;*
> *Eſt in iuvencis eſt in equis patrum*
> *Virtus, nec imbellem feroces*
> *Progenerant aquilæ columbam.*

Noſtine conſceleratiſſime? ut aquam ex pumice, & ficus è zizaniis quis fruſtra poſtulaverit: ita eum lavare laterem, qui probos à vitioſis parentibus deſideret: quippe ut nihil aridius pumice, nihilq; ad fructus meliores producendos ineptius zizaneis. ita malitioſi parẽtes minus ſunt idonei ad cõferendam liberis virtutem qua carent ipſi: —— *ſerpente ciconia pullos*

> *Nutrit, & inventa per devia rura lacerta*
> *Illi eadem ſumptis quærunt alimonia pennis.*

Quapropter unde tibi Mome, veritas, non video; cogitationum mearum omnium ſummam faciens, non reperio. Sed cum filium Cacodæmonis te ſciam, tuumque patrem mendaciorum omnium fontem & ſcaturiginem uberrimam me non lateat, te à veritate tàm longè abeſſe, quàm longè cœlum à terra adeò eſt manifeſtum ut ne dormitantem quidem, nedum vigilantiſſimum latere valeat. Sed ſi adulari, ſi calumniari, ſi obeſſe bonis, prodeſſe malis, ſi homines in errores à recta via deducere, ſi iniquo talo incedere, cœlum fallere, ſacram Scripturam in falſiſſimam falſiſſimorum errorum opinionem ſiniſterrimè retorquere, mentiri cepas, fingere chimęras, omni fronte excuſſa pura puta mendacia proferre, eſt veritatis parmam objicere, triumphaſti fateor, profligatiſſime hoſtis, majoremque laudem, majorem gloriam reportas, quàm Hercules, quem Leonem Nemæum clava percutiiſſe, Hydram Lernæam igne interemiſſe, Aprum Erymanteum occidiſſe, Cervam in Mænalio nemore aurea cornua gerentem, cepiſſe, ſtymphalidas aves in nubibus ſagittis confodiſſe, Antæum intra ulnas oppreſſiſſe, columnas in Oceano fixiſſe, Geryonem tricipitem viciſſe, Boves abegiſſe, Taurum peremiſſe, Acheloum monomachia ſuperaſſe, Diomedis equos abduxiſſe, Cerberum vinctum catena traxiſſe, aurea Heſperidum mala rapuiſſe, hiſtoriæ litteris monumentiſque traditæ, & ad immortalem poſteritatis memoriam conſecratæ, edocent. Hoc tibi Mome, obſervandum, relinqno, hoc perpendendū propino tibi, qui veritatis ſcuto tectus; à qua tamen tàm longe abes, quàm longè abeſt à Domini Baudii carminibus mendacium; cædis, inque vicem præbes crura ſagittis, & inſtar Athletarum pulverem convitiorum tibi ipſi non detergis, ſed eodem alios perſpergere atque opplere conaris. Quo perverſiſſimo ritu noſtro hoc ęvo, apud Pontificio veneno labeque, Ieſuitica infectos, inter quos mores mali tanquam herba irrigua ſuccreverunt uberrimè, quid protritius P. C. pervulgatius, pervagatius? Altas enim radices in omnium egit animis

Plau-

Plautinum illud: *Si benedicetis veſtra ripa vos ſequar,*
Si maledicetis veſtro gradiar limite.

Leoni Byzantio cum maledicus quiſpiam opprobraſſet oculorum vitium, ipſe gybbo deformatus: Humanum, inquit, ille convitium in me conjeciſti, cum ipſe Nemeſin in dorſo portes. Sic Diogenes Ariſtippum, quod Dionyſio aſſentaretur Catellum Regium ſolebat dicere; & cum aliquando hic ei per opprobrium dixiſſet: Si tu poſſes uti Regibus, non cogereris veſci crudis oleribus, reſpondiſſe ſcribitur Diogenes; ſi tu poſſis vivere contentus oleribus non eſſes canis Regius. Domitius Craſſum hoc inceſſit maledicto: nónne tu ob murenæ mortem, quæ in vivario tuo alebatur, plorasti? Reſpondit & repoſuit Craſſus: nónne tu abſque ulla lachryma treis tuas uxores extuliſti? Audit ſcilicet benè beneficiis qui certat, & in alterum qui dicere paratus eſt, omni labecula careat neceſſum eſt.

Quis enim tulerit Gracchos de ſeditione quærentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo?
Si fure diſpliceat Verri, ſi homicida Miloni?
Clodius accuſet Mœcchos, Catilina Cethegum?

Hinc Thales Mileſius interrogatus quo pacto quis optimè juſtiſſimique viveret? Reſpondit, ſi quæ in aliis reprehendit ea ne faciat ipſe. Vnde Divinus ille Plato quoties interfuiſſet hominibus, contra decorum agentibus digreſſus ſeipſum ita ſolebat alloqui: Numnam ipſe fortaſſis tali vitio laboro? Nihil enim turpius aut moleſtius, quàm ſi ſuo premitur exemplo nocens. Sicut lumen refractũ magis lædit imbecilles oculos: ita & maledicta gravius mordicant, ſi in maledicentem reverberentur & repercutiantur. Quapropter, Mome, in poſterum ſi lingua tua viperea impetere aliorũ famam, papulasq; contrectare & perſonare tibi præſumis, ne ipſe ſcateas ulceribus, proſpice: ſeu ut Ciceronis utar verbis, qui aliorum cuſtodem te profiteris, ſapientem tui primum capitis aiunt cuſtodem eſſe oportere. Naſutus enim ſis uſque licet, ſis denique naſus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

dederit etiam tibi cum vate Tireſia περσεφόνεια οἴῳ πεπνύσθαι τοί δε σκιαὶ ἀΐσσουσιν. Te tamen tuo non carentem nævo haud abſimilem eſſe ſtatuis etiam qui ad Solem meridianarum noctuarum cæcutientium more caligant, deprehenderit. Sed ad alia mẽdacia manifeſta, adeò ut ab indoctis & pueris cognoſci poſſint, alio ſcripto reſponſurus; pergam ad ea, quibus Momus ille caſſa nuce vanior, vitam & famam Domini Baudii, cujus ne micam poterit conſequi eminus allatrat; effecturus paulo poſt, quo ſibi ipſi nequiſſimus ille paullatim magis, magisq; innoteſcat, & qui ſe antea penitus ignorarat, nunc deinceps ſemetipſum illa in veritatis explicatione tanquam in ſpeculo contemplari poſſit: Agmenque alterum inſtruens, cauſſam ecquam habes buſtuarie graſſator, qua motus Dominum Baudium tu baudee, Baudeum, per convitium nuncupas? nam ipſi Baudio nõ Baudeo quaſi aſino cognomen eſſe omnes quibus hactenus cum eo interceſſit familiaritas, norunt; & quicunque patrem, avum, abavum & attavum Viros probos & optimos ante ipſum cognoverunt. Itaque tu Mome non tàm ipſi quàm majoribus ſuis omni laude digniſſimis labem infamiæ cupis aſpergere, & ſepulcra mortuorum, quæ alibi vos Pontificii colere videmini, hic tu contra authoritatem Petri; quem veſtræ hæreſeos originem, ſed iniquè jactitatis, violare: & in cineres ſuorum immeire nullum putas dedecus. Quid hic dicturus Mome? Petrum hæreſeos veſtræ originem eſſe profers: At ego te mentiri affirmo, aureſque aſininas arrigere jubeo. Principio enim poſtquam à Clementiſſimo decreto de genere humano per ſemen mulieris redimendo, ne primi parentis depreſſum lapſu, peſſum totum ferretur, Deus, poſitis inter Chriſtum & Leſſatan ejus inimicitiis, belloque utrinque ſuſcepto Evangelium ſuum, ex horto illo Eden, qui ἡδονῆς, & veræ voluptatis eſt, ſtatuiſſet in univerſum terrarum orbem derivandum, factum ſine mora & de ſubito eſt, ut Satah ille & abjuratus Apoſtata ſuas inimicitias mille modis exereret & diſſeminaret. Revera enim ὁ δυνάμε-

νος

νόμον διαβάλλειν, καὶ τοὺς φίλους ἐχθροὺς ποιεῖν, ut ſic loqui mihi cum noſtro Philoſopho liceat. Nam creſcente hominũ multitudine creſcebant & hæreſes & ſchiſmata: adaucta illa & hæc adaugebantur, illa in omnes mundi plagas & climata diſperſa, diſpergebantur & hæc, atque in diverſa loca diverſimode, feliciſſimè tamen, dimanabant, adeò ut uno atque altero ſeculo vix exacto, tot idola in orbe fuerint, quot dies, ferè quot horæ erant in eodem elapſæ: prout iſtiuſmodi mali vis & natura fæcunda eſt, quod ceu peſſimum virus, ſenſim per arterias illapſum in præcordia mox non minore impetu, quàm damno longè, latèq; ſævit. In Chriſtiano populo Adamiani erant ſic dicti, quod exemplo Adami nudi ac ſine ullis veſtibus degerent, eoq; modo cum fœminis cõverſari, atque etiam orare conſueverant, aſſerentes illud ipſum in vita melius exiſtimandũ, quod ad naturam propius accederet. Erant Sarabaitæ ſacerdotes, qui in Ægypto poſiti in foraminibus petrarum habitabant, induti porcorum & boum pellibus, cincti funibus palmarum, ſpinas ad calcanea portantes, ad cingulum ligatas, diſcalceati, & ſanguine cruentati. Cavernis egreſſi, ad feſtum Scenophegiæ pergebant Hieroſolymam, & Sancta ſanctorum intrantes, paupertatem & abſtinentiam à ſe prædicabant ſervari. Tum barbam, ſpectante populo acriter pervellebant, atque nummis tali aſtu adeptis in ſuam Regionem remeabant, & in lætitia atque dapibus epulabantur. Erant Nyctiages, qui univerſam noctem ſomno & quieti concedebant, neque ipſo noctis tempore evigilandum eſſe putabant, naturæ genium ſic violari atque corrumpi opinantes. Ethnicorum verò non hæreſes, ſed abominationes, quem quæſo Vos A.H. tàm firmis lateribus eſſe exiſtimatis, qui iſtis non dico eloquendis, ſed enumerandis non defatigetur, etiamſi ipſe Demoſthenes eſſet, quem Plutarchus ſcribit, decem millibus drachmarũ à Neoptolemo hiſtrione didiciſſe, uno ſpiritu integras circuitiones efferre. Petrus Crinitus refert Heſiodum, qui Theologus Ariſtoteli, aſſerere triginta

millia

millia Deorum ſuo tempore in orbe terrarum fuiſſe. Tertullianus trecentos Ioves à Marco Varrone ait dinumeratos, eoſdemque ſine capitibus introductos. Cicero quot hominum linguæ ſint tot nomina Deorum eſſe adfirmat. Hinc pro Diis Deabusque, & mures, & feles, & Sol & Luna, & omnia elementa habita, adeò ut Deorum innumerabiliũ plena omnia rectè Lactãtius dixerit Bæotis Amphiaraum, Afris Mopſum, Ægyptiis Oſirin Macrobius, Origenes Adamantius Æthiopibus Iovem, & Bacchum, Arabibus Vraniam, Saytis Minervam Deos Deasque adſcripſerunt. Strabo auctor graviſsimus & in priſcis monumentis diligens Solem, quem ſua lingua Mithram vocarint, pro Deo Perſas coluiſſe teſtatur. Mitymnenſes ab Apolline juſsi, Dionyſii ligneum caput ſcribuntur pro Numine venerati. Epheſii Pixodorum quendam ex paſtoritio genere divinis honoribus affecerunt, propterea quod fortè fortuna in Thaſo greges paſcẽs lapides candidos eruerit. Simon Samarites Deus fuit à Romanis decretus, & ſimulacri honore donatus, in Tyberis flumine inter duos pontes collocati addito hoc titulo Simoni Deo Sancto. Cornelius Tacitus, Germanos ait Deorum maximè Mercurium coluiſſe, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habuerint. Vnde & Teutas dictus à Lucano & Lactantio putatur, Herculem verò & Martem conceſsis animalibus placaſſe. Vandali SIEBAN vel SYBAN auxilitatricem habuerunt, virginem raro, & ad ſuras uſque prolixo capillo, manibus à tergo porrectis, quarum alterutra pomum aureum, uvam pampino inaurato alterutra tenuit. Temporis vero progreſſu quamquam DEOS Patrios, quos à Majoribus acceperunt colendos ſibi diligenter, & retinendos quique arbitrentur ut Cicero, vel ut Philo Iudæus ait, ſua cuique optima Relligio videatur: Tamen veteribus recentes, antiquis novæ ſuperſtitiones indies ſucceſſerunt, donec tandem Pontificia Tyrannis, ingentis inſtar vaſtique fluminis invaluit. Quæ ſuo ab ortu exigua quidem, ſed perpetuo aucta, & tumefacta

progre-

progrediendi, cum refractis imperiorum regnorumque repagulis fuerit per univerſum terrarum orbem ferè in ſumma impietate debacchata; etiam in hanc noſtram Bataviam cum innumerabilium animarum oppreſſione inundavit, divina humanaque omnia bellis & cædibus commiſcens. Fuerunt quidem in illa confluge ſocietates quàm plurimæ noxiæ & detricoſæ, deterior verò omninò nulla, quàm Monachorum colluvies. Petebant hi primum ſolitudines, & ab hominum conſortio remotos ſylvarum receſſus, unde Eremitæ dicti, quos Græci Ἀναχωρήτας, noſtri verò inquit, Polidorus, Monachos nuncuparunt. Non quidem, ut gloriabantur iſti, ad Heliæ & Iohannis Baptiſtæ exemplum, quorum ut ille pluſquam Propheta, ita hic pluſquam ſordidus Monachus cenſeri debet: Sed Eſſenorum potius & Antonii Ægyptii cujuſdam, qui in Thebaicæ Regionis ſolitudine primus Cœnobium condidit, in quo mortem obiit annos centũ & quinq; natus, qui fuit annus ſalutis humanæ trecenteſimus, primus & ſexageſimus, relictis Amata & Machario diſcipulis, qui ordinem Monaſticum poſtea mirum in modum propagarunt. Verum ubi tumidi illi ventres in plures partus & fœtus quaſi diſrupti, ſeſe ulterius cõtinere in ſolitaria vita non poſſent, pro ut à delibatis ſemel voluptatibus haud facilè animus avocatur, ex ſolitudine in hominum conſortia, ex abditis ſylvarum receſſibus in agros, ex deſertis in culta, ex horridis in amœniſſima quæque loca, ex pagis in oppida, in civitates ex vicis exceſſerunt. Inde ſuũ trahunt Monachi, ejusq; farinæ omnes, omniaque Eccleſiæ Dei abjectiſſima illa, caneque peius & angue fugienda atque averſanda vitulamina, originem. Quod ſi ignoraſti hactenus, Mome, inquire impoſterum diligentius: ſi autem ſcis, veteratorius tibi eſt animus, qui id quod ſcis neſcire ſimulas; ac proinde verberibus, non verbis opus eſt, qui te aſinum velit inſtituere. Adde, ſi veritatem fari, nullius auribus quid dicere, ſcelera veſtra ipſa immanitate immaniora in clarum Solis jubar, plenè planeque

C produ-

producere eſt mentiri, non omninò errabis, ſi Dominum Baudium Telamonem omnimodis peritum mendacivendulum dixeris. Carmina ipſius cur dicis triobolaria? cur ipſum poëtaſtrũ nominas? quid eſt quod tu aſine cumane in ipſius Poëſi deſideras? ut quem alii te longè doctiores, meliores etiam veteribus Poëtis annumerandum cenſent: quem multi inſtar Virgilii, inſtar Horatii magnifacere non dubitant; quem perplurimi hujus ſeculi Poëtæ amiciſsimè obſervant, eum tu Theologaſter Poëtaſtrum appelles? Sed cur tu ipſius carmina triobolaria dicis? cur eum poëtaſtrum audes vocare? Quid? annon ille tibi eſt Poëta idoneus? annon huic muneri ſatis ſufficiens? an tu contumelioſiſsime ſycophanta habes, quod in ſuis carminibus melius ac latinius dicere poſſis quàm ille? melius facere atque componere quàm ille? Quid, tune, O ignavum pecus habes quod in Heroïcis ſuis poſsis reprehendere? poſsis corrigere? quid? tune unam Elegiam poſsis culpare ex omnibus quas cõſcripſit, aut unicum ipſi demonſtrare vitium, aut vocem obſoletam, aut phraſin denique inuſitatam? Ille certè quædam Heroico, veſtigiis Virgilii, Statii, Claudii, Ovidii, Lucani inſiſtens; quædam, imitando Ovidium, Tibullum, Propertium &alios, Elegiaco verſu aliaque carminum genera imitatione aliorum in lucem evulgavit: ſed neminem unquam audivi tàm impudicũ neminem tàm immoderatum hominem, qui aliquid in iſtis omnibus reprehenderet, præter iſtum lumbricum; qui cum neque ingenio neque exercitatione valere videatur, qui cum nuſquam hactenus eſſe cognitus, modo è terra, quaſi ex Tartaro ipſo, tàm repente quidem, ut etiam nomen ſuum oblivione traditum inibi reliquerit, erepſit, ut mucorem ſuum in Domini Baudii verſus evomeret. O Mome! O Ieſuita! O frons! O os! quem tot doctiſsimi exterarum nationum viri, veteribus comparandum Poëtis autumant? eum tu bruta beſtia poëtaſtrum audes calumniari? quem præſtantiſsimi ſcriptores in noſtra hac Batavia ſummum Poëtam dicunt, ejus

verſus

verſus tu mucide homo, carmina triobolaria non vereris per convitium dicere? quem tot eruditi & probi tanquam Poëtam diligunt, colunt, omniq́ue laude dignum judicant, eum tu bellua, tu brutum pecus aſpernari non reformidas. Videtis, Auditores Humaniſſimi quantæ intemperies, quantæ furiæ, projectam hanc cadaveroſam faciem, exagitent amentiaq́ue afficiant; talia quæ ſcribat, quæ Tragicus Oreſtes, aut demens Athamas non approbraret. Quid? quod etiam Dialecticam hic homo lymphaticus Magnificum Dominū Baudium docere aggreditur? quaſi unus aliquis eſſet de grege venalium, aut ſcurra viliſſimus, aut certè ex eorum numero qui neque literas, neque natare didicerunt. Quæ res eſt, an ille ab aſino in quo cum incredibili impudentia, ſingularem ſtulticiam conjunctam comperio, addiſcet Dialecticam? Vix me cohibeo, quin rideam interdum; nam mihi ſæpe bilem, ſæpè tui riſum movere tumultus, præſertim cum tu dicacule, tritum illud Ovidii nunquam audiveris: Quodq́ue parū novit, nemo docere poteſt. Quæ enim hæc tua eſt Dialectica, attende pecus Arcadium? Quia Iuſtinus Senior, & Iuſtinianus Conſtantini Filius Pontifices Romanos Iohannem & Conſtantinum veneraturi, pedes oſculati ſunt: quia Pipinus & geſtorum gloria Magnus Carolus, Stephani & Adriani Pontificum Romanorum pedibus oſcula fixerint, ergo ut tu, infers, non damnandi, ac proinde pedum oſculatio non injuſta. Quæ hæc inquam Dialectica tua? Reginaldus Inſularum, Carolus Siciliæ, Vladiſlaus Poloniæ, Eduardus Angliæ, Philippus Pulcher Galliæ Reges ad Pontificem literas exarantes, hancce adjecerunt clauſulam beata pedum oſcula beatorum. Ergo, inquis tu, omnes Pontifices, Reges & Principes pedibus oſcula figere convenit: & per conſequens nō eſt antichriſtus. Item quæ hæc: quia in Ieſaia, venient ad te curvi filii eorum, qui humiliarunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum; & alibi, erunt Reges nutrices tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pul-

verem pedum tuorum lingent, legitur: Ergo ut tu argumentaris & vis, Pontificis pedibus oſcula figenda. Quænam hęc eſt ratio colligendi? quæ hæc eſt conſequentia; quia hæc verba in Ieſaia reperiuntur, ergo Papæ illi perditionis filio & Hæreticorum omnium penè parente, à quo tanquam ex perenni quodam & inexhauſto fonte, nunquam intermittente, nuſquam inſiſtente fluxu omnis generis ſchiſmata & hæreſes profluere & promanare cernimus, pulvis pedum lingendus. At nihilominus Religionem veſtram Catholicam non hæreſin, ſed omnium, quia antiquiſſima, præſtantiſſimam, aſſeveras. Quæ ratiocinādi formula quàm bella Deus bone, quàm pulchra, quàm feſtiva, quàm elegans, quàm lepida? Diabolus antiquior homine ergo, ut tibi ſubtili Logico placet, ipſi longè multumque anteferendus. Alia hic perplurima ſicco quod dicitur pede pręterео; quis enim omnem horridam tuam ſylvam poſſit incidere? aut quis hoc Augiæ ſtabulum perpurgare. Ad Dominum Baudium redeo, quem tu perdidiſſime nebulo, quaſi inſcium artis Dialecticæ, non benè argumentatum, calumniaris. Ille certè ita ſuæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſcepit, ut & parentum ſuorū optimorum, optimis conſiliis, & præceptorum, quos ipſi plures & perquam eruditos habere contigit, inſtitutionibus, & naturæ etiam ipſius inſtinctu, quam ſemper tanquam optimam ducem ſibi ſequendam cenſuit, quæcunque faceret, omnia fugiendæ turpitudinis, & honeſtatis adipiſcendæ cauſſæ ſibi facienda ſtatueret; ut non otio, ſed labori, non libidini, ſed induſtriæ, non inertiæ, ſed ingenuis artibus ſe natum exiſtimaret. Ille ſanè quod tanquam ſuos ungues norunt omnes, quibus cum illo ſemper interceſſit familiaritas, tot annorum ſpatia in Academiis toto orbe celeberrimis, etiam diebus feſtis, quibus alii chartis luſoriis tempus fallere, aut vino meraciore caput & pantices ſuos opplere conſueverunt, optimis ſtudiis, optimè optimam navavit operam. Quæ ergo hęc ſua eſt miſeria, ut ab hac demū bruta animante ipſi ars Dia-

lectica

lectica ſit addiſcenda? Et quod malum hoc eſt, demum res
tuas, illò venerande Domine Præceptor, deveniſſe, atque in
hunc anguſtiæ locum omnes tuas copias eſſe redactas, ut ſto-
lidiſſimus & inertiſſimns homo, qui inter genus & ſpeciem
diſtinguere neſcit, Dialecticam te docere non erubeat? Et
an ulla contumelia in Tuam Magnificentiam eſt, ſi hæc non
eſt? Non dubitas etiam, O furia! Dominum Baudium po-
tatorem & amatorem calumniari. Nihil perprofecto eſſe tàm
integrum quod non frangere, nihil tàm ſanctum, quod non
violare, nihil denique tam munitum, A.H. quod non expu-
gnare vel nocendi cupiditas, vel invidia conetur, cum Momo
noſtro, communis rerum omniũ magiſtra experientia evin-
cit. Si quis enim ſubductis rationibus diligentiſſimè quærat,
nihil aliud in cauſſa fuiſſe Sole meridiano clarius deprehen-
det, cur nequam ille omnium peſſimus in D. Baudium tàm
acriter exarſerit, tàm infenſus infeſtusque ſit, ut omni con-
tumelia eum invadat, ſua de fama detrahat, putidaque cen-
ſura proſcindat; niſi quod ipſius Eruditionem eum ad ſum-
mum dignitatis gradum evectum, gratum Regibus, Principi-
bus acceptum, doctis ſimul, & illiteratis admirabilem reddi-
diſſe acceperit. Hoc eſt quod eum aſſiduè torquet, quo dies
noctesque cruciatur, quo penitus diſrumpitur. Nàm uſque
eò lædendi cupiditate cæcus contra ipſius famam dignita-
temque fertur, ut dum eum nimis cupidè & importunè in-
ſectatur, Illuſtriſſimis etiam Dominis Ordinum Hollandiæ
Deputatis, Nobiliſſimis etiam Magnificis Ampliſſimis Cõ-
ſultiſſimis hujus Academiæ D. Curatoribus & D. Conſuli-
bus Civitatis, aliisque Dominum Baudium Magnifacienti-
bus petulanter & improbè maledicat: neque ſatis advertit
aut cogitat, omni diritate deterior ille, Eum ſine Illorũ ope,
ſine auxilio, ſine auctoritate nequaquam ad hunc dignitatis
gradum potuiſſe aſcendere. Quæ te, putrida caro, pervi-
catia, quæ effrenata & immanis audacia impulerunt, ut per
Domini Baudii latus, tantos Viros, tàm Potentes Dominos,

tàm Vobis omnibus formidabiles confodias? O labes, O peſtis Eccleſiæ! Spe alor firmiſsima, quanquam in hac extrema, & effæta mundi ſenecta, fataliq; rerum omnium inclinatione, animi quorundam languent, neque perinde atque debent in laudis & glorię cupiditate verſantur, futurum unum atque alterum Domini Baudii diſcipulorum, Eruditione me, experientia, multarumque rerum cognitione tantum præcedentem; ante alios quantum Pegaſus ibat equos; qui abjectum hoc cadaver ſuo ſcripto exagitare, & ſempiterno poſteritatis odio exponere non volet: præſertim tàm forti, tàm animoſo, tàm innocente reo. Ac ſi mihi aliquod exercitium ſive proſa, ſive ligata Oratione conſcriptũ ad manus pervenerit, quam tu Mome tibi præfationem à me habiturum ſperas? Sed progredior. Cur tu Ariſtarche ambulare per popinas, latitare per tabernas Baudii eſſe fingis? Cur cœleſtia Divosque ſobriis permittere, & pergere

— ad nocturnas epulas ubi cantharus ingens
Deſpuit effuſi ſpumantia damna ſalerni
In menſam cyathis ſtillantibus - - eum jubes? cur eum in ſpem patrem & matrem amphoralem, cellurariam educaſſe, educatumque eum in Baubonaria, in Cauponaria è qua incertis alternationibus pedes anguſtas domino fabricẽt plateas, mentiris? Vnde iſtud ſcis? aut quonam vitæ cotidianæ uſu talia de Domino Baudio es edoctus? qui neque eum ferè vidiſti unquam, neque illos qui eum rectè norunt, audiſti: ſed unius duntaxat atq; alterius inimici atque putidi hominis putidas in eum percepiſti contumelias. Subolet quidem à quibus balatronibus illæ tibi ſint amandatæ haſtæ, & qua è pharetra illa in Eum tela deprompta. Scio quid iterum dicturus ſis impuriſſime leno; te nimirum aliorum ſermonibus, & magnificis præmiis impulſum fuiſſe, ut ſummo animi livore non aliter atq; vipera in Dominum Baudium acerbitatis tuæ virus evomere non deſiſtas. O præclaram defenſionem tui facinoris? te aliorum verbis ita credere, ita corrumpi muneri-

bus, ut falſa pro veris, dubia pro certis, audita pro viſis & com-
pertis arripias. Fruſtra tu hanc culpam in alios transferes: te id
ad alios rejicere tua vanitas, tuum mendacium, tuum ſcelus
eſt Mome ſceleratiſſime. Neſcio cui te Magnifice Domine
Baudi Pręceptor obſervande comparem niſi Actæoni, quem
ut ſui canes laniarunt: ita fermè, qui ex tuis vigiliis fructũ &
commodum ceperunt; qui te prævio & anteambulone Iuris
& hiſtoriarũ latebras incolumes pervaſerunt, tuum perduel-
lem, ut roſtro & dentibus in te ſæviat, remq́ue incomper-
tam, quod eſt quam nunquam vidit, impugnet, & cæcis icti-
bus, tanquam Andabata ſecum ipſo digladietur, inſtigarunt.
Perfer tu hæc omnia ſummo cum ſilentio, aderunt qui ulciſ-
centur, efficientq́ue tuos iſtos canes ſuorum pœnitere latra-
tuum. Quæ proinde tua Mome, te iterum compello, eſt ineſ-
fabilis mentiendi inſania, ut Dominum Baudium potatorem
& amatorem, ipſius frontem & genas meretriceas per oppro-
brium nomines? Tune eum amatorem & genio indulgere
credis, qui cotidie in conſeſſu Doctiſſimorum juvenum fre-
quentiſſimo, docet, domi aſſiduò meditatur, tot bonos au-
ctores, imprimis jam ſumma cum laude & admiratione ma-
xima Tacitum, cujus hiſtoria tuo Lipſio veluti præceptorum
hortus eſt, & ſeminarium, explicat. Tunc ô belua ipſa im-
manitate immanior, eum hominem amatorem eſſe dicis, qui
tot annos ita vixit in conjugio, ut nulla unquam juſta de ipſo
quærimonia vel ad cognationes, vel ad affinitates, vel ad ma-
giſtratum ſit delata? O ſtẽde tu ſterquilinium hominis, oſten-
de ſi potes, in terris quæ illi ſit, præter honeſtam & dilectam
ſuam conjugem, amaſia. An tu illorum hominum eum pu-
tas ſimilem, pro quibus tu tanquam pro aris focisq́ue tibi pu-
gnandum autumas? Quinam illi ſint, pro quibus nequiſſi-
mis tu arma foveas, quæritas? Ieſuitarum & Pontificiorum
teterrima colluvies; quorum omnis pietas in culina, & ἐν γα-
ςρὸς βορᾷ τὸν λεῆςον, ut cum Euripideo Adraſto, vel cum Se-
neca loquar, virtus omnis in proſpero & felici ſcelere. Qui
ſanctu-

ſanctuli gulæ mancipia, & Epicuri de grege porci, nulli rei navant operam, quàm ut paſcant ventrem, corporum tenus curioſi. Qui tàm ſanctum nihil, à quo deperditas & impuriſſimas manus abſtineant, relinquunt. Qui ineffabilem divitiarum multitudinem cotidiè aliis atque aliis fraudibus amplificare omnes ingenii nervos intendunt: prout ſunt, qui injuſtè diteſcendi ſtudio laborant, ubi ut cum comico loquar:

Ταλαντά τις λάβῃ τριακαίδεκα
Πολὺ μᾶλλον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν ἑκκαίδεκα
Κἂν ταῦτ' ἀνύσῃ, τετταράκοντα βούλεται
Ἤ φησιν, οὐκ εἶναι βιωτὸν αὐτῷ τὸν βίον.

Qui caſulis non contenti & domibus, arces eas, eos locos, quos rebus ad vitam neceſſariis omnibus ad abundantiã uſq; divites ſciunt appetunt, velle ex fundamentis incultis ſeſe Cœnobia & Scholas, & excitare, & perpetuum eas non humano uſui, ſed cultui divino, ſed piarum precum, & votorum vigiliarumque Gymnaſia pro Catholica Eccleſia Chriſto Ieſu conſecrare, prætendentes. Hinc fit ut à perplurimis tum precum multitudine, tum ſua ipſius ſanctitate & benemerendi ſtudio victis, omnia quæ petunt, illis liberaliſſimè attribui videamus. Illi autem, cum factis ex locis privatis, publicis, ſacris ex profanis, ex rerum illiberalium palæſtris, prudentiæ & virtutis Gymnaſiis, Eccleſiatum ſeminarium Rerumpubl. plantarium, atque adeò optimum & pulcherrimum Civitatis & alicujus provinciæ armamentarium, in quo tot hominum liberi alimentis literarum enutrirentur, & res omnium maximæ atque diviniſsimæ propagarentur, non ſolum locis ac Regionibus, verum etiam perpetuis humani generis ætatibus & temporibus profuturæ, ædificata arbitrantur; experiuntur & deprehendunt contrarium. Nam ut experientia adprobante fit, ubi πλούσιοι ἀτεχνῶς ὑπερβάλλουσι τῇ μοχθηρίᾳ, ubi inquam homines in ſaturitate vivunt, & diffluunt otio, cum in faſtu, in luxu, in ebrietatem, in ſcortationem, in teterrimas voluptates excedunt; & hac ratione quæ ſcholæ pietatis putantur,

impie-

impietatis & turpitudinis officina, quod diligentiæ & indu-
ſtriæ domicilium, ignaviæ & deſidiæ ſeptum, quod legum &
diſciplinarum aſylum, petulantię & libidinis conciliabulum;
quid multa? ex domibus innocentiæ atque integritatis, im-
pudicitiæ, & turpitudinis latibula evadunt. I nunc nugige-
rule, & amationum atque helluationũ Dominum Baudium
te excuſans, accuſa. I & tui, tuorumq́ue eum ſimilem judica:
apud quos omnes obdormiverunt virtutes, evanuerunt ſcien-
tiæ, fugêre pudor, candor verumq́ue fidesq́ue

In quorum ſubiere locum fraudesq́ꝫ doliq́ꝫ
Inſidiæq́ꝫ & vis, & amor ſceleratus habendi.

Vnde maxima ſemper eſt Veſtrorum Ieſuitarum, ex proprio
oculo trabem non extrahentium pravitas, maxima audacia,
ut Omnes ferè Baccho & Veneri dediti, alios ex veſtro inge-
nio judicetis, & plerumque Veſtram culpam in quoſvis alios
innocentes, cum ipſi ſitis nocentiſſimi malitioſè transferatis.
Quid jam dicturus, Mome me ex aliorum hoc relatu habere
prætendis? Capito me in Bohemia, quæ Regio fecibus illis
tanquam ex corruptiſſimo ſtagno effuſis, eſt onerata, quæ-
dam cum meorum profectuum ex aliis exteris nationibus il-
luc detruſus, ediderim ſpecimina, id vidiſſe: & cum à Ieſui-
tis, ſi veſtram erroris & falſitatis refertiſſimam, atque ex me-
ris hominum opinionibus, vel omninò remotis longumq́ue
valere juſſis ſacrorum Bibliorum dictis; vel ſiniſtrè interpre-
tatis, conſutam amplecti placuiſſet, mihi ea offerreretur occa-
ſio, de qua nunquam, ne per inſomnia quidem cogitaſſem,
liber mihi ſemper ad eos patebat aditus: ego verò deperdito-
rum veſtrorum, hominemq́ue à recta ſemita in vada, in ſco-
pulos deducentium, ingenia cognita cum haberem, & per-
ſpecta; malui vitam & ſanguinem in apertum diſcrimen ex-
ponere, quàm meæ ſalutis & vitæ æternæ naufragium facere
atque periculũ. Hocce caduceo ſic jam obverberavi os tuum,
Mome, ſic mendaciorum criſtas abs te erectas contudi, ut ſi
tu plagas iſtas nondum ſentis, leproſam mentis cutem te ha-

bere oporteat. Propterea nolo hic alia mendacia, quorum plurima, inutile illud terræ pondus, & boni fundi calamitas, quibus famæ Domini Baudii nebulam quandam & tenebras objicere, quibus eandem notare, ac defœdare exiſtimans, cumulando aliquot crimina falſi, refutatione, cum indigna, in lucem conſpectumque producere: in quibus Momus ſe ita non geſſit, tanquam rationem eſſet redditurus: ſed prorſus ita, quaſi aut reus nunquam eſſet futurus, aut quo plura diceret mendacia, quo plures ſcriberet aſtutias, eò minori periculo in judicium eſſet venturus. Nolo quicquam in tenebrionem illum dicere gravius, nolo acerbius: nemo enim non videt quo ſpiritu agatur ille amens, qui Magnificum Dominum Baudium immerentem ad Tartara uſque protrudit; & econtra deperditos Ieſuitas ac Pontificios verſutos illos & callidos impoſtores tàm acriter defendit, tàm honorificè extollit, tàm magnificis laudibus ad ſydera uſque evehit: quippe quia mentis ſuæ non compos, non alia ab eo nugatore nobis fuerunt, aut adhuc ſunt expectanda. Faceſſat itaque Sciole, tuum in poſterum de Domino Baudio iniquum judicium, & ſtultorum tuorum palponum; qui numerus eſtis, fruges cõſumere nati; Sponſi Penelopes, nebulones, Alcionoique; ora impudentiſſima jàm deinceps côticeſcant, niſi fortè à nobis obturari, & intra metas ſuas compingi optant. Reliquum nunc eſt, ut cauſſas etiam inveſtigem, quæ te huc impulerunt, Mome, ut tu omnem bilem animi tui nequiſſimi, in Vnum Baudium non ſolum, ſed pleroſque alios emoveres: age breviter, hanc partem inſtituti hujus pauciſſimis exequamur: cur enim in re omnibus manifeſta diutius immorer? Quid ergo eſt Mome quod te adverſus Baudium Noſtrum inſtigavit? aut quonam odio fuiſti adductus ad nomen famamque ejus inſectandum? quomodo iſtuc Mome; cum tu nullam ab eo unquam acceperis injuriam? Minus hoc in aliis ipſius inimicis mirarer: tu verò qui ne verbo quidem ab eo es violatus, eum ultro maledictis tuis laceſſiſti: quem etiam non noras: tuamq;

ab eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

ab eo alienationem ad infenſos Batavos & alios, tibi gloriæ fore putaſti. Fortè carminum ipſius odio, credo te cōtra eum fuiſſe inſtimulatum. At quomodo iſthuc, Mome, cum in iis tui ne verbo facta mentio? Quæ igitur res te huc impulit? quę animi cupiditas huc adegit: ut ignoto ob nullam rem tot cō-tumelias, tot maledicta, tot opprobria ingereres? aut quę tanta fuit in te audacia? quæ tanta vis, ut cum cæteri omnes ſibi tacendum eſſe ducerent, tu unus emerſus è cœno, omniumq; facilè omnibus rebus infimus, Eum perſequendū calumniis, exagitandum mendaciis, opprimendum ſycophantiis judicares. Auſculta arrectis auribus aſine. Eſt quidem amor habendi ſceleratiſſimus, & tetra pecuniarum cupiditas radix & domina malorum ſingulorum & omnium; quæ inſidiatur aliorum bonis & fortunis omnibus, & cum honeſtè rem facere non poſſit, ſua commoda, ex aliorum hominum incommodis quæritat. Hæc labefactavit animum tuum Mome; hæc labes peredit cor tuum; hæc lues occæcavit mentem tuam; qui tibi ſalutem, qui famam, qui fortunas, qui dignitatem Domini Baudii ad prædam propoſuiſti. Hæc avaritia tibi hāc calumniandi bonos & adulandi malis provintiam impoſuit, Theologo, ſeu ſacrarum literarum qualis videri vis, perito valde indignam: ſiquidem Theologia, ut nomen ipſum declarat, Religionem interpretatur; & vitæ honeſtæ ac benè agendi diſciplinam continet. Idcirco mecum omnes mirentur, qua fronte, quo ore Momus iſte ſe Theologum & ſacrorum Bibliorum acutum interpretem eſſe putet, cujus mens expreſſa eſt in præmio: lingua aſtricta mercede; manus devinctæ aureis manicis. Quid? quod huic cupiditati acceſſit alia, & quidem lues multo peſtilentior, quàm eſt avaritia; quæ & ipſa hunc hominem adeò tranſverſum egit. Cur enim dicta ſcripturæ, ſed falsò allegans, Theologus, cur unum atque alterum exemplum ex Pontificiorum libro lugendorum vel hujus ſimili citans hiſtoricus audiri vult, niſi ut, quod minimè eſt, id maximè eſſe videatur? Et cur tàm repentè abſque no-

 minę

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

mine prodit, qui prius latuit? Aut à quo nam antro Throphonio iſte Theologus tàm ſubitò proripit? nimirum tempus requirebat, ut aliquando hęc Theologia in lucem è tenebris, in quibus ſe hactenus occultaverat, vel tandem emergeret. Quis enim hoc noviſſimo ſeculo, ante ſupremum diem noviſſet, quod Ieſaiæ, venient ad te curvi filii eorum, qui humiliarunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum; & alibi: Erunt Reges nutrices tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorũ lingent; dicta, de Sancto Patre Pontifice ſummo eſſent intelligenda. Aut quis apud Ieſuitas hiſtoricum vivere prius ſciviſſet tàm doctum, tàm peritum veterum ſcriptorum, tàm longo rerum uſu confirmatum, niſi ſordidum illum, nulliusq; momenti nec ponderis tractatum in lucem protuliſſet? Sed quid tractatum nullius momenti neque pretii dico? eſt ita concinnus, ita lepidus, ita elegans, nihil ut poſſit dici argutius: nam autore illo quid adfirmante, quis non habeat fidem? reprehendat eum, ſi quis volet, modo leniter, non ut inſcium, improbum, mendacem, ſed ut ſycophantem, ut aſſentatorem. Equidem ſi proprium eſt Theologi vim facere ſacris literis, divina oracula pervertere, doctior non erit ſub Sole Theologus, quàm eſt hic noſter Momus. Si item proprium hiſtorici munus eſt, nugari, mentiri, calumniari, omnibus viventibus æque ac demortuis convitiari; dico ego pro mea conſcientia, aptiorem huic rei neque fuiſſe unquam, neque jam eſſe, neq; unquam futurum eſſe, quàm ſit iſthic Momus. Abi nunc verborum magiſter, fabularum architecte, nugarum faber, perfrica frõtem, ſi quam habes, & ut ignarus canis lunam, Magnifici Domini Baudii famam, cujus ne micam potes conſequi, eminus allatra. A tuis allatratibus, Vir illibatæ exiſtimationis, ſe jam pridem vindicavit unico contemptu, Ariſtotelis ſimilis, cui cum quidam λοχόφιλος diceret fortè tibi moleſtus ſum? non hercle, inquit, nec enim animum tuas ad nænias adverti. Maledicta ſcilicet perinde audivit ac ſalutationes

amico.

amicorum, ut Bion ajebat: vel ſi hoc nimium eſt eodem habet Dominus Baudius loco, quo rotæ ſtridorem, mugitũ bovis, latratum canis, & ut Fabricius, barritum Elephanti: vel ut cum Seneca loquar contumelias & verba probroſa atque ignominias, & cætera dehoneſtamenta, ab ipſis Momis illata, fert velut clamorem hoſtium, & longinqua tela, ſaxaque ſine vulnera circa galeas crepitantia. Sed contraveniens hic Momus noſter, iterum gravitate cenſoriâ, & ſupercilio in terram defixo diſſolutus eſt, inquit, & arrogans, qui negligit quid de ſe quis ſentiat, & pro fama atque exiſtimatione noſtra haud minus alacriter & acriter, quàm pro vita, dimicandum. Cujus mihi hac in parte coarguendus eſt error, & quam longè extra oleas vagetur, aperiendum. Etenim ſi vera ſunt convitia, quorum involucris atque integumentis implicantur & inſuuntur, Viri Boni tanquam pro ſanguine, cum vita & fama pari paſſu ambulare ſoleant, pugnandum ſibi eſſe non neſciunt, nec renuunt ut omnino à ſe amoliantur, & arceant iſtam nubeculam, donec rareſcat paulatim, & tandem inſtar Virgilianæ Creuſæ penitus evaneſcat, volucri ſimillima ſomno. Sin verò fictitium quiddam concenturiant, & ferruminant, & ut acerbius dicam, merum mendacium ipſis impinpunt Obtrectatores, tum quidem cum Diomede Homerico non inſcitè dicere poterunt:

Οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι ἢ παῖς ἄφρων,
Κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο.
Haud curo magis ac ſi fœmina, ſive quis infans
Me iaculo peteret, ſiquidem viri inertis irrita tela volant.

Quoſlibet enim ad rumuſculos, qui de nobis ſiniſtri ſparguntur, excandeſcere velle, quælibet ad ludibria inſanire, quælibet ad convitia furore corripi, quælibet ad Μορμολύκεια examinari, quemlibet ad Empuſæ cõſpectum expalleſcere, quolibet in pulicis morſu Herculis implorare auxilium, animi dejecti eſt, & humilis, qui ad virtutem nunquam emergere

valuerit. Vnde idem immaturis iſtis opprobriis uſu venit, quod Aonidis floſculo, quo de Poëta:

—— —— brevis tamen uſus in illo
Namq́, malè hærentem, & nimia levitate caducum
Excutiunt, iidem, qui perflant omnia venti.

Attendant licet, & animum intendant Viri Probi, quoties crabrones ejuſmodi ſuo moleſto ſtrepitu, & ſuſurris odioſis circumſtrepunt, & ob clangunt, certo tamen certius eſt τὸ ψεῦδες οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖσθαι, ut ait Æſchines; tantum abeſt, ut iram in auribus habitantem intra cordis ſe ſinus inſinuare permittant. Verè enim neſcio quis Comicus:

Ἤθους δικαίου φαῦλος οὐ ψαύει λόγος.

Equidem quo longius in altum devehor, Auditores Suaviſſimi, eò ſelatior, & patentior Orationis meæ campus oſtēdit. Sed & temporis me ratio, & Veſtra ſingularis Humanitas, ut vela colligam, & contraham, atq; ad portum adnavigem monet. Satis igitur tecum hactenus cum luctatum, maledice, quem omnes boni dementia cæcum, & furore ineffabili correptum vident; cui rapinæ, cui neces, cui cædes, cui præfracta audacia, cui immanitas placeat; qui facinora, qui ſcelera defendit, iniquiſſimos & perditiſſimos atque ad ſtygias paludes detrudēdos, laudet, innocentem falſis criminibus opprimat, nihil præterea addam; ſed ſemper in recenti mihi hærebit memoria, mihi non cum Theologo, ſed cum ſacrilego, non hiſtorico ſed nugatore, non ſcriptore ſed ſicario, non cum homine ſed cum monſtro hominis eſſe congrediendum, diſputandum, conflictandum.

D I X I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

Virum Doctiſsimum Ornatiſsimum

MARTIS ET PHOEBI SECTATOREM ſtrenuum προσφονεῖ.

SPiſſum carpit iter, quiſquis MAVORTIS *adhæret*
Imperio: nec opus nec labor in tenui eſt,
Spiſſum carpit iter quiſquis SAPIENTIÆ *opimas*
Pernox perq́; dius gnavus anhelat opes
At qui utrumq́; Audet, MARTEM *ſectatus &* ARTEM
Iunctim, quo tamdem is dignus erit titulo?
Cum Iove certabit, nec ſe ſciet eſſe minorem
Famam illi æternam, Mars, ſimul Arsq́; genent.
SCHLAFFI *optate cui mentem è meliore metallo*
Effinxit divis latoïdes manibus
Duplo dignus honore clues, quem hinc Martis, & illinc
Certatim Sophies Caſtra tibi at tribuunt.
Sed Martem rebar te iam poſuiſſe, tuasq́;
Addixiſſe unis Aoniis operas
Quid video? infractus iam animi bella aſpra reſumis
Quæq́; fuit iuveni Mens, manet illa viro,
Aſt hoc imparilem conlectis viribus hoſtem
Adgrederis armis & duce longe alio.
Hoſtem almæ Triados tetro auſu atque ore SVITAM
Armis invictæ cinctus aletheïæ,
Pro BAVDI *præclari Aris, Duce & auſpice Phœbo*
Præmonſtrante vias agmine ſicelidum
Perge ſub his aquilis ſtipendia plura mereri:
Aut hoc aut nullo ſub duce ductor eris:
Lætus ego adclamo FOELICITER: *& prece cœlum*
Pulſo; ſuccedant fauſtiter iſta tibi.

P. G. F. Laurenb. M.

SVO SCLAAFFIO.

Livor abi, tua caſtra jacent, tua turba fugata eſt
Fulmine & eloquii flumine: Livor abi.
Livor abi; preme mordacis convitia linguæ?
Injice frena labris durima: Livor abi.
Livor abi; nunquam potis es ſpurcare Bonorum
Famam ſpurcifico gutture, Livor abi.
Livor abi; nobis quid obeſſe poteſtur atrox dens?
Aſpera quid linguæ ſcommata? Livor abi.
Livor abi; qui non ceſſaſti dente maligno
Carpere, nunc ipſus carpere, Livor abi.
Livor abi; vin' hoſce ſonos cultosq́ue politosq́ue
Opprobrii morſu rodere? Livor abi.
Livor abi; nec verba potes, nam verba diſerta:
Nec methodum; methodus nam bona; Livor abi.
Livor abi; nil prorſus ineſt, quod carpere poßis;
Eſt TVLLI eſt PLAVTI fabrica, Livor abi.
Livor abi; tibi ſcripta dica eſt: quid abire recuſas?
Ocyus Anticyras viſere Livor abi.

φιλοφιλίας ἕνεκα F.

CASPARVS ab HONDORF
Eques Boruſs.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1558